

potest cognoscibilitas, suo infinito lumine illam attingit.

IX. Licet autem in hoc fere omnes illi auctores conspirent in affirmando, scilicet quod futura habent ante omne decretum determinatam veritatem, quo proinde de se patet divinæ scientiæ sine alio medio, vel ratione, adhuc tamen variant inter se in explicanda confexione horum decretorum cum futuro, seu actu libero contingenti, et quomodo sufficere possit, vel non sufficere ad cognoscendum per illud rem futuram, in quo mirum est quam varie, et anxie rem istam tractent, et inter se dissideant.

X. Nam in primis p. Suarez qui admittit prædefinitiones Dei ad aliquos actus liberos, v. g. ad actus supernaturales, et ad aliquos naturales, qui specialiter a Deo sunt intenti etiam admittit Deum in tali decreto seu prædefinitione infallibiliter illos actus cognoscere, quia infallibilem connexionem cum illis habent, non tamen esse istas prædefinitiones universale medium ad omnia futura, quia non omnia prædefiniuntur, nec indiget Deus illo medio, ut futura cognoscat, sicut patet in peccatis, quæ absolute cognoscuntur futura, non tamen prædefiniuntur. Ita sumitur ex ipso libro primo de absoluta scientia futurorum cap. vi et lib. ii de concursu Dei, c. xiii et prologom. ii de gratia in fine.

XI. Secundo p. Vasquez in præsentis disputatione LXV, c. ii et iv docet decretum Dei esse quamdam causam remotam futuritionis, non proximam; proxima enim est ipsamet veritas ipsius futuri subjecta infinitæ scientiæ Dei, et similiter tale decretum esse sufficientem causam certitudinis ipsius scientiæ Dei, non tamen esse medium, in quo futura cognoscantur. Et in hoc etiam convenit Arrubal hic disputatione XLIII, c. ii, subdit tamen c. iv, ali-

qua posse esse decreta, quæ se habent, ut medium ad cognoscendos effectus, scilicet illa, quibus Deus ordinat unum ad aliud, v. g. cum decernit dare cogitationem, ut voluntas re ipsa eliciat actum, et obtineat gratiam, in illo decreto poterit cognoscere gratiam futuram. Sed tamen quia apud Vasquez, respectus rationis qui invenitur in decreto libero respectu objecti voliti, fundatur, et causatur ab ipso objecto, pertinetque talis respectus ad ipsam rationem decreti liberi, ut distinguitur a necessario, et rursus decretum liberum est causa ipsius futuri quamvis remota, fatetur ingenue Vasquez non posse circulum in hac parte evitari. In quo nos nihil ei imponimus, sed verba ipsa Vasquez fideliter referemus in præfata disputatione VI, c. ii, n. xii, ubi inquit: « Quod si dicas ex hac doctrina sequi prius rem esse futuram, quam sit decretum in Deo, si quidem ab illa derivatur respectus rationis, quo decretum voluntatis Dei dicitur constitui, respondeo, sine dubio non posse circulum in hac re evitari, est enim difficillima, sed de hac re latius disputatione LXXX dicendum est. » In ipsa autem disputatione LXXX, cap. ii, inquit: « Nodus hic mea sententia insolubilis est, vix enim vitare possumus circulum in reddenda ratione. » Certum est autem loqui Vasquez de circulo vitioso, et quem damnat Aristoteles cæterique philosophi, nam si esset circulus non vitiosus, nec inconveniens aliquod inducens, non erat, quod laboraret Vasquez, nec rem insolubilem, et insuperabilem putaret, circulus enim non vitiosus nihil difficultatis est, quod admittatur, eoque passim utitur philosophus, ut ostendimus in logica quæstione xxii.

XII. Tertio, alii absolute docent Deum non cognoscere futura in decreto suæ voluntatis, pro qua parte

plures ex societate auctores refert p. Alarcon tractatu ii de scientia Dei, disp. ii, sect. vi, num. vi, et ipse etiam putat Deum non cognoscere creaturas quas solus facturus est in decreto suo, nec ea ad quæ concurrerit cum creaturis in decreto generali quo statuit, aut promisit cum illis concurrere. Excipit tamen Ericce, qui in præsentis disputatione VI, c. iii, n. xxxii, opinatur Deum in suo decreto effectus a se faciendos cognoscere, adducitque Augustinum in enchiridio, cap. LXV, et Hilarium IX de Trinitate dicentem: « Quæ Deus facere decrevit in sua voluntate cognovit. » Et n. LI docet Deum in decreto quo statuit concurrere cum omnibus causis, cognoscere futuritionem suarum operationum.

XIII. Quarto, Molina sentit Deum cognoscere futura in supercomprehensione causæ creaturæ pro omni ordine, et statu rerum: non tamen tali comprehensione cognoscere, quid sua voluntas sit volitura, vel effectura, quia non supercomprehendit illam. Ita super I p. q. XIV, art. XIII, disp. XIV, XV, et aliis, et in concord. disp. XLIX, et L.

XIV. Quinto, alii existimant Deum cognoscere libera futura in determinatione quadam ipsius voluntatis, quam habet in actu primo, ex qua infallibiliter sequetur operatio. Quod Valentia, et Salazar attribuit p. Alarcon ubi supra, c. VII, n. v, sicut etiam alii sentiunt cognosci a Deo in auxilio congruo quod ponunt in sancta cogitatione, et motu subito in quo inest quædam proportio, et virtus natura sua tendens in voluntatem, ut infallibiliter licet libere sequatur consensus. Ita sequi ex doctrina p. Vasquez docent aliqui auctores ipsius societatis, et afferunt testimonia ex disputatione LXVII, cap. III et IV, quamvis ipse Vasquez disputatione LXV, c. IV, asserat fu-

tura nullo modo cognosci a Deo in eorum causis, quod et plures auctores societatis sequuntur, Suarez, Lessius, Ruiz, Torres, et alii citati ab Alarcon, cap. illo *septimo* citato, num. VII.

XV. Sententia Thomistarum non in tot opinionum varietatibus peregrinatur, sed docet ex parte Dei futura cognosci in decreto divinæ voluntatis causativo ipsius futuritionis rerum, sicut quando illas producit est causativus existentia præsentis, eadem enim causalitas, quæ de præsentis causat res, ante istud præsens erat causatura juxta divini decreti ordinationem, quæ unicuique rei tempora dispensat. *Nam tempora, et momenta Pater posuit in sua potestate*, Actor. I. In causis autem creatis non possunt cognosci futura contingentia, quantumcumque causæ accumulenter, quia illæ omnes contingentiam non sufficiunt exhaustire, nisi forte causæ istæ sumantur, ut determinatæ a Deo, et subjectæ ipsi decreto sic causanti determinationem futuritionis. Cæterum ex parte ipsarum creaturarum, ut videantur futuræ pro aliqua differentia temporis in se ipsis intuitive, et non in suis causis, omnino conducit, quod sint subjectæ mensuræ immutabili æternitatis, et sub ea existentes, aut si hoc non conducit, etiam non conducet, quod cognitio Dei æternitate mensuretur, sed etiam si per impossibile mensuraretur alia mensura, et esset infinitæ perfectionis in cognoscendo, futura cognosceret, sicque frustra D. Thomas recurreret ad æternitatem, qua mensuratur cognitio Dei. De secunda parte hujus sententiæ dicemus articulo quarto. Primam autem partem, scilicet ex parte Dei cognosci futura contingentia in decreto divino, est communis Thomistarum sententia. De qua videri potest M. Gonzalez in præsentis disputatione XLIII,

sect. iv, n. lvi; Navarrete hic contr. liii; Alvarez lib. ii de auxiliis, disp. x et xi, sequitur Granados hic tract. iv, disp. iv, sect. ii, qui citat Scotum in i, dist. xxxix, quæstione unica, §. Viso de contingentia; Richardus dist. xxxviii, art. i, quæst. v; Cajetanus in præsentia quæstione, art. xiii, et quod amplius est Vasquez disp. lxxvi, c. ii. Cæterum Granados, et alii, qui etiam id sentiunt ex sua familia, loquuntur de cognitione in decreto efficaci supponente scientiam mediam quæ ante omne decretum videt futura sub conditione; Thomistæ in decreto non innixi illi præscientiæ, quam non dari ostendimus sequenti disputatione.

ARTICULUS II.

Resolutio difficultatis propositæ.

I. Eligenda est a nobis tamquam D. Thomæ sententia, futura non habere ex se ipsis determinatam veritatem, nec posse sic determinate, et certo a Deo cognosci in illa tantum objectiva veritate secundum se, et ex natura sua, sed indigere subijci decreto divinæ voluntatis, sub quo ejus futuritionem certo videt, ut tenet se ex parte Dei. Et hoc decretum non sufficit quod sit decretum de concursu concomitante, et indifferenti pro causis contingentibus, ita ut ipsæ causæ debeant illum determinare, sic enim rediret difficultas seu potius non solveretur difficultas, quomodo illa determinatio contingentis causæ circa concursum indifferentem cognosceretur a Deo: sed debet decretum illud esse decretum causativum determinationis causæ contingentis, et futuritionis rei, tollendo suspensionem contingentiam in operando, et servando modum operandi sine necessitate; non solum movendo, sed etiam ex-

citando, ut latius sequenti disputatione, articulo iv, et articulo ultimo expendimus. Hanc in summa existimamus sine dubio mentem S. Thomæ. Quæ ut clarior reddatur sequentibus conclusionibus explicatur.

II. Dico primo: Futura contingentia ex vi objecti sui, seu veritatis objectivæ non habent determinatam veritatem, nec sunt cognoscibilia, ut determinate futura. Est expressa Aristotelis i perih. cap. viii, et ibi docetur, et explicatur a D. Thoma, lect. xiii, §. Ponit secundam rationem, ubi inquit: « Falsum est quod omne quod est verum, fuerit determinate dicere esse futurum. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod cum verum hoc significet, ut dicatur aliquid esse, quod est, hoc modo est aliquid verum, quod habet esse. Cum autem aliquid est in præsentia, habet esse in se ipso; sed quamdiu aliquid est futurum, nondum est in se ipso, est autem aliquid in sua causa. Quod quidem contingit tripliciter. Uno modo, ut sic sit in sua causa, ut ex necessitate ex ea proveniat, et tunc determinate habet esse in sua causa, unde determinate potest dici de eo quod erit. Alio modo aliquid est in causa sua, quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest, unde et hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter, et sic de hoc vere dici potest hoc erit, sed non per omnimodam certitudinem. Tertio, aliquid est in sua causa, sed pure in potentia, quæ etiam non est magis determinata ad unum quam ad aliud; unde relinquitur quod nullo modo potest de aliquo eorum determinate dici quod sit futurum, et quod sit, vel non sit. » Ita D. Thomas. Qui etiam videndus est in eodem loco lect. xiv, ubi ex Aristotele probat per plures rationes, quod si in quocum-

que tempore præterito ita se habuit veritas enuntiationum, ut necesse esset, quod alterum oppositorum vere diceretur, et ad hoc quod necesse est aliquid vere dici, sequitur, quod necesse sit illud esse, vel fieri, consequens est, quod unumquodque eorum quæ fiunt, sic se habeat, quod necesse sit fieri, hæc enim sunt verba D. Thomæ ibid. §. Ostendit quod idem, etc. Manifeste ergo contra D. Thomam et Aristotelem sentiunt, qui dicunt futura contingentia ex vi et ratione objectiva sua habere determinatam veritatem. Videndus est etiam D. Thomas quæst. ii de verit. art. xii ad 1, ubi inquit: « Quod licet contingens non sit determinatum quamdiu futurum est, tamen ex quo productum est in rerum natura veritatem determinatam habet, et hoc modo fertur super illud intuitus divinæ cognitionis. » Et ibidem in corpore articuli ostendit quod de futuris contingentibus, ut futura sunt non potest dari cognitio, nec Deus cognosceret illa certo si cognosceret ut futura, sed quod semper ordo divinæ cognitionis est ad rem quæcumque sicut ordo præsentis ad præsens. Et videri etiam potest quæst. xvi de malo, art. vii, et q. xii de verit. art. x, et in quæstione præsentia, art. xiii, et supra citata lect. xiv perihermias, quibus in locis semper in hoc laborat D. Thomas ut futura contingentia respectu cognitionis divinæ a statu futuritionis extrahantur, et per modum præsentis attingantur, ut determinate, et certo in se ipsis reddantur cognoscibilia, nam stante futuritionis statu, contingentia semper indeterminatam veritatem habent.

III. Et hinc potest sumi fundamentum hujus conclusionis, et explicari ratio D. Thomæ, quia enim illa semper utitur magnum indicium est in ea multum ponderis

latere. Sic ergo proponi potest. Res contingens ex propria objectiva veritate ante quam sit de facto producta solum fundat veritatem per modum futuri, sed veritas contingens sub statu futuritionis est sub statu indeterminationis, et indifferentiæ ut sit vel non sit, ergo sub illo statu implicat quod fundat determinatam veritatem, scilicet quod erit, quantum est ex meritis propriis, et ratione suæ objectivæ veritatis. Consequentia patet, quia veritas consistit in adæquatione ad esse, vel non esse rei, ergo sub illo statu sub quo res non fundat determinatum esse, vel non esse, non potest fundare determinatam veritatem ex vi sua, et ex meritis status; si ergo status futuritionis est status indeterminationis in contingentibus ad esse, vel non esse, implicat ex vi talis status fundare determinationem in veritate quæ adæquatur ad esse, vel non esse. Major est certa, quia res antequam sit de facto caret esse producto, et existenti in propria mensura, ergo de se non fundat veritatem per modum præsentis, vel præteriti, quia hæc necessario dicit productionem, vel præteritam, vel præsentem, solum ergo fundat veritatem per modum futuri. Minor in qua est difficultas probatur, quia res contingens quamdiu non est producta, nec in se ipsa, sed in sua causa, non potest fundare nisi futuritionem contingentem, et impedibilem; si illa futuritio non esset contingens, neque impedibilis ex propria natura, res illa esset necessaria, et non contingens, neque enim contingentia rei consistit, nisi in ordine ad futurum, quia quod jam est præsens, vel præteritum, extra contingentiam est in eo in quo jam est, solum autem est contingens in eo quod deest, et quod futurum restat. Si ergo res contingens fundat de se futuritionem contingentem et impe-